EPITOME VITÆ S. PETRI THOMASII,

EX ORDINE FF. B. VIRG. MARIÆ DE MONTE CARMELO,

PATRIARCHÆ CONSTANTINOP.

ET SCALA VIRTVTVM,

QVIBVS TAMQVAM GRADIBVS ad ſupremum perfectionis faſtigium conſcendit.

Authore P. F. Daniele a Virg. Maria, ciuſdem Ordinis.

ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM
Anno M DC LIX.

AD LECTOREM.

OPuſculo Apologetico Aſceticum, alteri loco deſtinatum, conuenienter & vtiliter ſubiungendum ſuaſit & perſuaſit vir grauis S. PETRO THOMASIO *multùm deuotus, atque Ordini Carmelitano ſingulariter addictus. Eſt illud* Compendium Vitæ *ipſius* S. PETRI THOMÆ, & Scala virtutum *eius, quibus, ceu gradibus, perfectionis & ſanctitatis culmen conſcendit. Cùm enim Acta Sanctorum ſcribantur, illuſtrentur, legantur; tum vt eorum gloriam, ac meritum, & efficax in nos patrocinium cognoſcentes, illos honoremus, & ipſorum fauorem mereamur; tum, & quidem potiſſimè, vt dum conſideramus virtutibus repleta eorum expreſſa exemplaria, ad imitationem incitemur (Quantum enim ad permouendos animos noſtros valeant clarorum virorum facinora, vtriuſque hiſtoriæ, Eccleſiaſticæ ſcilicet, & prophanæ, innumera confirmant exempla) omnes autem virtutes in Vita* S. PETRI THOMÆ *in heroico & eminenti gradu reſplendeant; quæ ſparſim de illis in toto decurſu relata ſunt; vt efficaciùs moueant, breui hoc ſchemate, ſimul collecta, hîc conſequenter exhibenda, non incongruè, videbantur.*

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

EPITOME

EPITOME VITÆ S. PETRI THOMASII

Ex Arnoldo Boſtio *lib. de Viris Illuſtr. Ordinis FF. B. Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo cap.* 14.

1 PETRVS THOMÆ, Pactenſis Epiſcopus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Doctor percelebris, Prædicator incomparabilis, ſummique Regis ſignifer bellicoſus; librum de ſancta Conceptione digniſſimæ Dei Genitricis MARIÆ conſcripſit: Epiſtolam etiam lugubrem, in qua conqueritur noſtrorum ignauiam, quod Alexandriâ opulentiſſimâ Ægypti ciuitate à Petro Ieruſalem Cyprique Rege captâ, oſtium Hieroſolymæ recuperandæ Chriſtianitati apertum non attenderunt: quinimò nemine perſequente turpiter retroceſſerunt: multaque alia edidit. *Libri à S. PETRO THOMASIO ſcripti.*

2 Hic in arduis negotiis, & penè impoſſibilibus, ad Deum, & glorioſam eius Matrem

B. Virginis MARIÆ *ope magnalia patrat.* recurrere ſolitus, quidquid implorauit, communiter ſuprà ſpem hominum, impetrauit: quem prægloriosâ Dei mater ab initio in ſpecialem filium adoptauit: & pluries ei corporaliter etiam apparens piiſſimè conſolatum reliquit.

3 Tempore Clementis Papæ VI. in Curia Romana Regens in Theologia ſacram ſcripturam ſubtiliſſimè diſſeruit: prædicandoque ac diſputando Doctor ſingulariter emicuit. Quapropter à tota Curia, & ab Auenionenſi *In Curia Pontificia magni fit.* populo ſupra modum amatus, & honoratus eſt. Ab Innocentio verò ſucceſſore eius in diuerſis legationibus mittitur: quas cum Eccleſiæ ſumma vtilitate proſecutus eſt: & Epiſcopus Pactenſis ordinatur.

4 Dum ad Ioannem Imperatorem Conſtantinopolitanum legationem exercuit, teſtibus litteris Imperatoris, Græci & Latini ſui imperij ſanctâ eius prædicatione & doctrinâ *Ad Imperatorē Constantinop. Legatus mittitur.* exemplarique vitâ reformati, emendati, ædificatique mirabiliter ſunt in deuotione, & vnitate Eccleſiæ Romanæ: ac contra Turcos animati; vnde in Cyprum nauigans grauem infirmitatem incurrit: in qua, pro ſuæ ſanctitatis merito, Regina Ieruſalem, & Cypri ei propriis manibus quotidie cibum parauit: & poſt plures dies, Deo fauente, & Reginâ miniſtrante, conualuit. Ieruſalem quoque Papalis nuntius, in ſummo vitæ diſcrimine, abinde non

deſiit

deſiit expetere, martyriumque ſitiens, omnes Chriſtianos Dominicæ nationis, quos habere potuit, in monte Sion coadunauit, eiſque circa horam tertiam, coram Saracenis aduenientibus, glorioſè, & auctenticè prædicauit. Et quamquam, perfidis murmurantibus, Chriſtianos timor pro eis nimius inuaſerit, peregrinatione ſuâ perfectâ, Deo gratas agens, in medio illorum ibat.

5 Rediens verò, à Papa Innocentio auditis quæ per eum glorioſè facta ſunt ad partes Romaniæ, & Cypri, denuò mittitur, de conſilio Cardinalium, iam non Nuntius Papalis ſingularis tantum, ſed Legatus Sedis Apoſtolicæ ſpecialis & vniuerſalis: & in augmentationem ſui ſtatus Eccleſiam Coronenſem accepit. *Mira operatur.* Ex tunc maximè terribilis hoſtibus Chriſti miles Regi ſuo plurimùm valuit. Nunc prædicando, docendo, diſputando, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis: nunc corporaliter etiam ſtrenuè bellando: nunc infideles baptizando, ſchiſmaticos reducendo, & Eccleſiam Dei multiplicando, modò in Smyrnis, modò in Conſtantinopoli, modò in Rhodo, modò in Creta, modò in Turquia, modò cum multis galeis, modò cum paucis, & multum, Deo auxiliante, laborauit: quo tempore legationis ſuæ durante, Turci communiter perdiderunt: & vnum de maioribus Turcorum Principibus, Dominum

de Altologo, ad redditionem tributi coëgit: quod nunquam alicui Legato, ſeu Principi Chriſtiano fecerat. Quanta mortis pericula permagna pro Eccleſia Dei ſuſtinuit! quanta bona in Eccleſia Dei fecit! quot animas perditas ad cælum reuocauit!

6 In Creta abominabilem quandam hæreſim, quæ potiſſimum à nobilioribus illius inſulæ ſuſtinebatur, penitùs extinxit: & cognatum Duciſſæ Cretenſium pertinacem combuſtioni ignis adiudicauit. Omnes pecunias quas de ſtipendiis ſuis, ac prouentibus, & quocùmque habere poterat in cuſtodia Smyrnarum, & guerra contra Turcos, tunc, & vſque in vitæ ſuæ finem, lætanter expoſuit. Hugone Ieruſalem ac Cypri Rege mortuo inclytus Princeps Petrus eius coronam Ieruſalem & ſacram vnctionem regalem ab eo deſideranter petiit; & in Eccleſia Cathedrali Famaguſtana ſolenniter accepit.

Quam generosè fungatur ſuo officio.

7 Vt autem audiuit Sathaliam, munitiſſimam inimicorum fidei ciuitatem, per hunc Petrum captam, ſtatim aduenit: Eccleſias ibidem conſecrauit: Sacerdotes & Religioſos ad diuinum officium celebrandum inſtituit: & Chriſtianos, pro parte Regis ciuitatem cuſtodientes, in Domino animauit, & confortauit, & multa priuilegia ſpiritualia ibidem piè reliquit. Poſtea Petro Regi aſſociatus Romanam Curiam vſque venit; vbi Vrbanum V. nouiter

Sathaliæ zeloſi Paſtoris opera facit.

creatum

creatum reperit: quem lætificauit de Sancto propoſito Petri Regis pro liberatione Hieroſolymæ, eum informans: & Archiepiſcopatum Cretenſem in ſui Status augmentationem Papa, zelo charitatis aſtrictus, ei tunc donauit.

8 Dumque poſtea Bononiæ, & in Venetiis & compluribus aliis locis, in cauſis Eccleſiæ, & promotionis ſancti paſſagij fideliſſimè, non ſine multis mortis periculis laboraſſet, Dominus Apoſtolicus, de conſilio Cardinalium, maiorem dignitatem Eccleſiæ militantis, poſt Papatum, ei ſolenniter dedit, videlicet Patriarchatum Conſtantinopolitanum, inſuper Eccleſiam Coronenſem in commendam ad vitam ſuam, & Eccleſiam Nigroponti: & loco Cardinalis Petragoricenſis, recenter defuncti, Apoſtolicæ Sedis Legatum eum pro ſancto paſſagio ordinauit, & decem florenos quotidianos, in ſuarum expēſarum augmentationem, piè donauit. Quam ſollicitè ex tunc peramplius, ſanctæ Crucis amator Crucis negotium promouerit Philippus de Mazzeriis Cancellarius regni Cypri, in *libro in Sanctis eius actibus* patenter enucleat: & Alexandrinæ ciuitatis captio ſubſecuta effectualiter, docet.

Patriarcha Conſtantinop: conſtitutus, quātum pro Eccleſia laborauerit.

9 Poſt cuius derelictionem zeloſo dolore tangitur: & tertio, proh dolor, menſe, lucerna Orientalium Chriſtianorum in Famaguſta extinguitur, anno Domini MCCCLXVI. in die Epiphaniæ: ſtatimque, velut etiam ſæpiùs antea,

Obitus eius glorioſus.

teà, præfulgidis ſignis, ac prodigiis ſplendeſcere, non deſiit. In Eccleſia Carmelitarum dictæ ciuitatis ſacrum Beatiſſimi viri corpus reſurrectionis diem præſtolatur: & contra morbum Epidimiæ pro ſpeciali patrono apud Deum, ne dum ibi, ſed & in diuerſis terrarum locis imploratur. *Hactenus ex Boſtio.*

10 *Idem Author libro de Patronatu B. Virginis* MARIÆ *prolixiùs Vitam* S. PETRI THOMASII *deſcribit cap.* 12. *per totum (quod habetur in Analectis poſt Vitam eius nu.* 8. *& ſeqq.) & cap.* 9. *iſtius Libri ſub compendio recenſens præcipuos Ordinis ſui Sanctos, ſic paucis eiuſdem S. Elogium exprimit:*

11 B. PETRVS THOMASIVS Præſul Pactenſis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Apoſtolicæ quoque Sedis Legatus digniſſimus, optimè meritus de Republica Chriſtiana, diuinæ ſcientiæ Magiſter egregius, Prædicator incomparabilis, adeoque facundus, vt quaſi fons fluens, aut fluuius videretut inundans: intemeratæ, Catholicæque fidei contra hæreticos propugnator fortis: ſummique Regis contra Agarenos ſignifer bellicoſus: de armario deuoti pectoris ſui ſuaue redolentium virtutum aromata, ſuper omnem Eccleſiam effudit abunde. Tantâ quoque præfulſit ſanctitate, vt miraculum fere continuum tota vita ſua videatur, quam nobilis vir Philippus de Mazzeriis Regnorum Ieruſalem & Cypri Cancellarius, Doctor Legum, & Eques auratus (quià tan-

Eius encomium ex Boſtio.

tam mundi lucernam ſub modio poni fas non erat) copioſè deſcripſit.

Hic decor Eccleſiæ, Cleri, flos, Arca ſophiæ,
Regula iuſtitiæ mentis honore piæ.

12 *Et ibidem quibuſdam interiectis* : PETRVS THOMASIVS Patriarcha Conſtantinopolitanus contra fidei inimicos ſtrenuus armiger & belligerator glorioſus; quinimò crucifer, & ductor exercitus Dominici, tam doctus quam Sanctus: qui caſtitate Virgo, Sacerdos ordine, paupertate Monachus, profeſſione Confeſſor, laboribus Martyr, Legatione Apoſtolus, munditiâ carnis Angelus, nullius gradus detrimentum paſſus eſt.

13 *De Arnoldo Boſtio & ſcriptis eius vide Commentarium præuium ad Vitam* S PETRI THOMASII § I. *num.* 5. *per* R.P. *Godefridum Henſchenium Societ.* IESV. *Præter libros ibi nominatos edidit etiam præclarus ille & ſuauiloquus Author Tractatum Apologeticum pro Immaculata Conceptione Deiparæ, contra Vincentium de nouo Caſtro, Item Breuiloquium Tripartitum, & ſpeculum hiſtoriale Ordinis Carmelitani, conſtans nouem libris : vbi in octauo Vitam* S. PETRI THOMASII *ordinatè, copioſè, & ornatè deſcribit à capite* 25. *vſque ad* 45.

Qui vitam S. PETRI THOMÆ *latè deſcripſit in ſpeculo Hiſtor.*

SCALA

SCALA
DVODECIM VIRTVTVM.

Quibus, tamquam gradibus, ad ſupremum perfectionis faſtigium conſcendit. S. PETRVS THOMASIVS.

§. I.

HVMILITAS PROFVNDA, mirificè à Deo exaltata.

1 HVmilitatem, virtutum ceterarum fundamẽtum, in fundo animæ ſuæ profundè locauit, eique totius ſpiritualis ædificij ſtructuram firmiter ſuper-ædificauit ab imo vſque ad faſtigium. Siquidem honores ſibi delatos declinabat, gloriam omnem mundanam abominabatur. *Et laudes hominum fugitans, patriam dereliquit, calcaribus humilitatis agitatus: quæ optima dos animi, & ad virtutem, veramque gloriam primus gradus eſt.* Ita *Boſtius in Analectis c.4.n.12.* & *Mazzer. cap.1.n.6. & cap.6.n.34.*

Honores fugit.

2 Peſte in Cypro circumquaque graſſante

nudis pedibus, & vilibus veſtibus, ſupplicatio- nem variis in locis peregit: ſuoque illo exem- plo plures alios, etiam Saracenos, Turcas, Iu- dęos ad idem præſtandum excitauit:& illâ ſuâ humilitate luem deprecatus eſt. *Mazzer. cap.* 6. *nu.* 57.*&* 59. *Nudis pedibus & humili veſte proceſſiones facit.*

3 Ante obitum ſuum in nudam humum deponi, & vili ſacco indui voluit: inſuper fu- nem ſibi ad collum ligans, ſe indignum pec- catorem reputans, & pronuntians, ab omnibus veniam poſtulans, cunctis qui aderant pio tan- tæ ſuæ demiſſionis ſpectaculo lacrymas excuſ- ſit. *Mazzer cap.*19.*nu.*114. *Humilitatis ſingularis actus ante obitũ.*

4 Humilis in vita, humilis in morte, etiam poſt mortem hanc virtutem quantùm potuit, exercuit; vt enim ab omnibus calcaretur in in- troitu chori ſepeliri elegit. *Mazzer. c.*19.*n.*118. *Humilitatem quomodo poſt mortem exercuerit.*

5 Porrò qui tantopere toto vitæ decurſu ſe humiliauit, quantum à Deo fuerit exaltatus clariſſima eius vita teſtatur abundè (*Quoniam honor velut vmbra frequenter ſequitur fugientes, & appetitores ſui deſerens, impetit contemptores*) po- ſteaquam in Pariſienſi palladio, fonte ſcientia- rum vberrimo, ſcientias legerat, ob miram, quæ in eo viguit, induſtriam, Procurator Ordinis ſui in Curia Romana, celeberrimo, atque ſplen- didiſſimo totius Orbis terrarum ſpectaculo, effectus eſt: quæ in Auenione tunc reſiden- tiam acceperat: vbi gratiſſimus extitit Pontifi- ci Maximo Clementi VI (qui tunc Romanæ & *Honores inſequuntur fugientes.*

vniuerſalis Eccleſiæ currum inſigniter aurigauit) ſacroque Cardinalium Senatui; & præſertim Religioſiſſimo Patri Domino Taliarando Cardinali Petragoricenſi : & in Curia Regens ac Concionator Pontificius conſtitutus fuit. *Boſtius in Analectis cap.4.nu.12.Mazzer.cap.2.n.7. 8.& 9.*

Quantum honoratus fuit S. PETRVS THOMAS *in vita,*

6 Exinde promotus fuit à Summis Pontificibus Innocentio VI. & Vrbano V. ad Epiſcopatus varios, Archiepiſcopatum,& tandem ſublimatus ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum. Inter alia etiam decora ipſius S. PETRI THOMASII vel maximè illuſtres extitêre, quas eorumdem Pontificum nomine obiuit, Legationes ad Principes, Reges, & Imperatores : anno 1353. ad Regem Apuliæ;deinde ad Genuenſes, & Mediolanenſes anno 1354. & ſequenti ad Carolum IV. Imperatorem,& Regem Raſſiæ : anno 1356. ad Regem Hungariæ, & Venetos : anno 1357. ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum : anno 1359. & tribus ſequentibus in Orientem : anno 1363. ad Vicecomites Mediolanenſes:dein ad Genuenſes : anno 1364. & ſequentibus, inſtitutus Generalis Legatus iterum in Orientem. *Mazzerius capitibus 3.4. & ſequentibus vſque ad 18. Boſtius in Analectis cap.4. nu.17. & ſequent. & R.P. Godefrid. Henſchen. in Commentario præuio ad Vitam* S. PETRI THOMASII *§.2.& 3. per totum.*

7 Et

7 Et quia humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, &, quantum potuit, etiam poſt mortem; ita etiam fuit viciſſim à Deo honoratus. Siquidem ſupra ipſum morientem ſplendor cæleſtis conſpicitur: clara facies apparet: corpus ſuauem odorem emittit: ſtatimque, velut etiam ſæpiùs anteà, pretioſa ſpargens balſama vitam ſpirantia, & aromata, Chriſti medelam ſuauiter redolentia, aureis miraculorum fulgoribus, mirificiſque prodigiis ſplendeſcere non deſiit, glorioſus coram Deo in cælis, & mirabilis apud homines in terris. *Mazzer. cap. 21. & Boſtius in Analectis cap. 4. nu. 20.* *& in morte.*

8 Hinc perſpicuum eſt, adimpletum in eo fuiſſe illud Chriſti: *Qui ſe humiliat, exaltabitur:* quodque cum ſua benigniſſima Nutrice, Patrona, Matre dicere non immeritò potuerit: *Reſpexit humilitatem famuli ſui: ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes.*

§. II.

PAVPERTAS EVANGELICA.

1 PAupertatem, humilitatis comitem, & filiam Religionis, & euangelicæ perfectionis fundamentum, ſic amplexus fuit, vt eam exactè ſeruârit, & ſtudioſè coluerit, non tantùm inter ſuos fratres in monaſterio, ſed & Epiſcopus,

piſcopus, Patriarcha, Apoſtolicus Legatus, ad vſque vitæ finem; nam ſemper & victu tenui, & veſtitu vtebatur vulgari. *Numquam in vita ſua, quouſque fuit Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, in Conuentu ſuo comedit extra refectorium: nec alium cibum volebat quam pauperes Fratres:* quamuis eſſet Procurator Generalis, Concionator Pontificius, & Regens in Curia. *Mazzer. cap.2.n.11.*

Paupertas eius in victu,

2 Interiùs vilem, & detritam geſtabat tunicam cum Scapulari, quibus ad extremum vitæ indutus, dum ſacræ Vnctionis extremum Sacramentum ei ab Epiſcopo Laudunenſi adminiſtraretur, quantum poterat, cooperiebat, & abſcondebat, ne ab aliis conſpiceretur. *Mazzer.cap.2.nu.11.& cap.19.nu.120.*

& in veſtitu.

3 Paupertatis autem Religioſæ, tam perſeueranter exercitæ, præmium à Chriſto promiſſum, *centuplum* in hac vita, & immarceſſibiles diuitias in altera, quàm abunde perceperit, hiſtoria Vitæ eius manifeſtum facit.

§. III.

§. III.

CASTITAS VIRGINALIS.

S. PETRVS THOMASIVS *caſtitate Virgo, munditiâ carnis Angelus*, vt loquitur Boſtius *lib. de Patronatu* B.V. MARIÆ *cap. 9.*

1 VIrginalis puritatis florem illibatum ſeruauit duobus potiſſimùm adminiculis, nempè: *ſepem circumdedit ei*, corporis caſtigationem & mortificationem, caſtitatis ſeruandæ accommodatiſſimum & primarium medium; ieiuniis enim, vigiliis, ciliciis, aliiſque auſteritatibus corpuſculum macerabat, & carnem Spiritui ſeruire cogebat: nec inter ſummos labores, vlla in re molliuſculâ corpori indulgebat vſque ad mortem. Aliquando officia Eccleſiaſtica nudis pedibus, in magno etiam frigore, peragebat. *Mazzer. cap. 7. nu. 43.* *Caſtitatem ſeruauit mortificatione,*

2 Monitus à ſuis quandoque, vt rigorem illum temperaret, & ſui curam haberet, reſpondens adducebat exempla priſcorum Patrum in eremis, & Eccleſiæ primitiuæ Paſtorum, qui animæ, non cuti curandæ inſiſtentes, cuncta quæ corpori grata fugiebant, aſpera amplectebantur. *Mazzer. cap. 18. nu. 111.* *& vita rigore,*

3 Quo-

3 Quoniam autem ſciebat induſtriam omnem humanam inſufficientem, iuxta illud Sapientis: *Sciui quoniam non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Sap* 8. ne quo modo candidum hoc Virginitatis lilium ab inimico contaminaretur, etiam *cuſtodem adhibuit*, & Protectricem, contra carnis, & dæmonis inſultus, ipſam ſcilicet *Reginam Virginum*, cuius peculiari patrocinio, & miræ tutelæ acceptum referebat, quòd immaculato calle ſpurcitias tranſiret carnis. *Wadding. in eius vita nu.* 5.

ac B. Virginis Mariæ patrocinio.

4 Sollicitè etiam ab aliis pericula caſtitatis, & occaſiones impuritatis amouere ſatagebat: ideo feminas, vt vanum & ſuperfluum ornatum dimitterent, in Concionibus efficaciter permouebat. *Mazzer. cap.* 2. *nu.* 11.

§. IV.

OBEDIENTIÆ, ET REGVLARIS VITÆ DISTRICTA OBSERVANTIA.

1 Obedientiam ſacrificiis eſſe præſtantiorem conſiderans, quamuis in eminentiori ſui Ordinis gradu conſtitutus eſſet (Procuratoris enim Generalis officium primum in Ordine eſt à ſupremo Prioris Generalis) Priori conuentus, in quo morabatur humiliter, & promptè ſubiectum ſe exhibebat. *Mazzer. c.* 2. *nu.* 11.

Procurator Generalis Priori Conuentus humiliter ſubeſt.

2 Et

2 Et quia regularis vita continuum eſt obedientiæ exercitium, Regularitatem non tam obſeruabat, quàm alios præiens, ſuo exemplo, obſeruare docebat, diſciplinæ monaſticæ inſtitutis diligenter inhærens: & licet plurimis diſtineretur occupationibus, tum in executione officij ſui, tum in docendo, & prædicando, ſingulis tamen noctibus matutinis aderat precibus: & communi in menſa, communes dumtaxat cibos, vt ſuprà dictum fuit, nihil vnquam particulare, admittebat. *Mazzer. cap. 2. nu.* 10, *&* 11. *Regularitatis obſeruantiſſimus fuit.*

§. V.

BENIGNITAS SINGVLARIS

1 INter virtutes morales, pro humana conuerſatione neceſſarias, præcipua eſt benignitas, iram vincens, & verba, ac mores aſperos declinans. *Ille* enim Alberto magno *benignus, tractabilis, & manſuetus eſt, qui habet mores bonos; & eſt omnibus conformis in his, quæ fieri poſſunt ſecundùm Deum.* *Benignitas in quo ſita.*

2 Hanc mirificè coluit noſter hic Sanctus, nam dum Procuratoris Generalis in ſuo Ordine fungeretur officio; aduentantes confratres humaniter excipiebat: quæ licebant, amicè concedebat: quæ non poterat, dulci verborum *Quantoperè eam coluerit S.* PETRVS THOMASIVS.

lenimine denegabat. *Wadding. in Vita* S. PETRI THOMÆ *nu.* XI.

3 Hoc modo exactiſſimè ſeruans illud Siracidæ, *in manſuetudine perfice opera tua* : etiam promiſſum eiuſdem conſecutus fuit : *& ſuper hominum gloriam diligeris. Eccli.* 3. nam ſic omnium & fratrum ſuorum, & externorum ſibi affectus obſtrinxit, vt ab omnibus non modò diligeretur, ſed quiuis felicem ſe reputaret, vel domi videre, vel colloquio vti, vel in plateis occurrere poſſe. *Mazzer. cap.* 2. *nu.* 9. 11. *&* 12.

Per illam gratus fuit omnibus.

Quin etiam ipſi Cardinales illius familiaritatem deſiderabant : eiuſque alloquio frui poſſe gaudebant. *Mazzer. ibid.*

§. VI.

LABORIOSA DILIGENTIA
In ſtudio doctrinæ, & concionibus elucubrandis.

1 RAdices diſciplinæ ſunt amaræ, fructus dulces, ſecundum Philoſophum ; Deus enim non otioſis tribuit ſua munera : ſed labore, & diligentiâ opus eſt, ſpecialiter pro adipiſcenda ſapientia, & ad carpendos, & deguſtandos dulces ſcientiæ fructus. Id ſciuit, & fecit S. PETRVS THOMAS : qui improbo labore ita agreſte coluit ingenium, vt breui temporis interuallo diſertè

Diligentia ſingularis in ſtudiis.

ſertè legendi, eâ facultate polleret, quâ ſibi honeſtiùs conſuleret, atque alios docendo præiret. Primis rudimentis inſtructus, ad altiora ſuſpirans, in Agenenſem profectus vrbem, humanioribus literis, & philoſophiæ præceptis operam eo fructu nauauit, vt ante annum ætatis vigeſimum, ex diſcipulo factus magiſter, plurimos habuerit auditores. *Mazzer. cap.1.nu.2.*

2 Quinimò breuis temporis ſpatio, ad tantam peruenit ſcientiam, vt ante tempus ordinarium, & præter morem, ac contra leges Vniuerſitatis Pariſienſis, omnium ſuffragiis, doctoratus lauream conſecutus fuerit. *Mazzer. cap.2. num.8.* *Doctor fit ante tempus ordinarium.*

3 Conciones ſuas ſtudioſè elucubrabat, è ſacræ Scripturæ penu, vel è ſanctorum Patrum promptuario floſculis decerptis exornabat. Sed poſtea fructum colligebat, adductis ſeriis Prophetarum comminationibus, explicatiſque tremendis Dei iudiciis, quibus lachrymas vberrimas exprimebat, & duros quoſque peccatores ad pœnitentiam excitabat. *Mazzer. cap.2. num. 11. & 13.* *Conciones ſuas ſtudioſè elucubrat.*

4 In curia Pontificia Auenione ſui Ordinis Procurator Generalis, negotia ſui Ordinis peragebat, ſcholæ præerat, diſputationibus exteriùs aderat; & frequenter prædicabat, idque aliquando ter in die. *Mazzer. cap.2. nu.9.*

In funere Clementis VI. in duodecim ſtationibus, totidem habuit conciones admirabi-

les: en diligentiæ, vix imitabilis, rarum exemplum? *Mazzer. cap. 2. nu. 9. & 15.*

§ VII.

INDEFESSVM ORATIONIS STVDIVM.

1 ORationem quidam conuenienter aſſimilant canali; ſiquidem per eam ad nos influunt Dei dona, & cæleſtis gratiæ chariſmata.

2 Per hunc tubum ex abyſſali diuina ſapientia puros látices ſcientiæ copioſè hauſit, quos deinde aliis abundè communicauit; ſiquidem diligentiæ in ſtudiis coniunxit, aut verius ſemper præmiſit Orationem: & ſicut Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas numquam ſe lectioni, aut ſcriptioni dedit, niſi poſt Orationem quâ magis, quàm ſtudio, aut labore ſuo, quidquid ſciret, diuinitùs traditum ſe accepiſſe referebat: ita & percelebris hic Doctor S. PETRVS THOMAS *in altari plus ſe didiciſſe dicebat, quàm in ſchola: & multa ſibi à beatiſſima Virgine explicata ſacræ Scripturæ arcana, quæ communem hominum captum ſuperant,* piè manifeſtauit: quodque multa inter docendum in ſcholis, & inter concionandum in templis occurrebant, quæ nunquam antea cogitauerat: & ex ipſa

Plus oratione quã ſtudio proficit.

ipſa doctrinæ qualitate videbantur magis diuinitus infuſa, quàm humanitus acquiſita. *Mazzer.cap.2.num.10.*

3 Noctu poſt matutinum perſeuerabat in Oratione, & iuxta Chriſti mandatum: *Quærite primum regnum Dei*, præmiſſis ſemper diuinis, & præcedente Oratione, curabat humana. *Mazzer.cap.2.nu.10.*

4 Nec inter grauiſſimas epiſcopales, patriarchales, & apoſtolicæ Legationis occupationes, ab oratione ſpiritum relaxabat; etenim ſolus omni nocte, amotis arbitris, & luce, humi proſtratus, longas protrahebat orationes, multoties vi ſuauiſſimæ contemplationis in extaſim factus. *Mazzer. cap.7. nu.37.* *Perſeuerātia eius in oratione.*

5 Accidit aliquando, vt ex ſacellanis vnus, cubiculum abſque luce ingreſſus, in Sanctum virum impegerit, deſuperque ceciderit, abſque vllo illius ſenſu, aut motu. *Mazzer.cap.7.nu.37.*

6 Oratione obtinuit in magna ſiccitate Cadurci pluuiam abundantem, & in raui medelam, ſocios à captiuitate, & naufragio mirabiliter præſeruauit: peſtem profligauit: & per B. Virginem, ac S. Gregorium ſanctitatem integram accepit, & mirabilia patrauit. *Mazzer. cap.1.nu.6.cap.3.nu.18. & 19.cap.X.*

7 Denique Oratione patrocinium, & perpetuam conſeruationem ſuæ Religionis impetrauit. *Appendix Vitæ eius in Analectis c.1.n.4.Ioan. Hildesh.in Anal.c.2.n.6.Boſtius.ibid.c.4.n.14.& 15.*

§. VIII.

EXIMIA PIETAS ET DEVOTIO erga beatiſſimam Virginem MARIAM.

1 *OMninò decens eſt eos, qui ſpeciali titulo beatæ Virginis inſignes ſunt, ſingulari quoque deuotione chariſſimos inueniri*, inquit Hugo de S. Victore; *ſuper Cantica ad quemdam Monachum*. Hoc vtique præſtitit noſter hic Sanctus, qui ſingulari prorsùs, & miro erga eam exarſit deuotionis affectu: nullum prætermiſit obſequium, quòd in eius cederet honorem. Scripto peculiari libello eius ab originali peccato indemnitatem conſtanter aſſeruit, & reliqua Virginis priuilegia doctis celebrauit encomiis. *Boſtius in Analectis cap. 4. num. 8. 9. & 10. Comment. præuius R. P. Henſcheniÿ § 4. n. 25.*

Singularis eius deuotio in Deiparam.

2 Quotieſcumque orabat, laudes miſcebat MARIÆ, locuturus nomen præmittebat MARIÆ, antequam menſæ accumberet, Mariana promebat elogia, & cibum putabat inſipidum, ſi ſacræ Virginis non condiretur memoriâ. In laboribus, in anguſtiis, ad ſacram hanc aram conuolabat, inſidiiſque inimici hac arte occurrebat, vt ſingulis ictibus clypeum opponeret nominis MARIÆ, cuius præſens ſemper ſentiebat auxilium. *Mazzer. cap. 1 num. 3. 4. & 6. cap. 2. num. 15.*

num.25. Boſtius loco citato & in epitome Vitæ num.2. Wadding.in Vita S. PETRI THOMÆ *num.6.*

3 Ingens hic pietatis ardor ita tranſmutauit affectum, mentem eius poſſedit, vt nihil aliud ſapere, nihil effari, nihilque videretur audire, Ex abundatia cordis os loquebatur. *Boſtius ibid Wadding.in eius vita nu.6.* *Cuius nomen illi ſemper in ore, & corde.*

4 Viciſſim munificentiſſima Virgo pro impenſi ſeruitij labore, mellis, & faui dulcedinem abundantem propinauit; eius enim ope Virgo permanſit: eum ſæpè conſolata fuit, & ſuo dignata aſpectu, in ſtudiis ſuppeditauit neceſſaria, ſacrę Scripturę arcana explicauit: in penuriis benefica, in tribulationibus propitia, & in periculis ei ſemper patrona, & protectrix fuit: vt meritò ſuauiloquus Boſtius *eodem loco nu.* 8. de ipſo ſcribat: *A teneris vnguiculis ſuperamabiliſſimam Virginem Mariam indicibili amore complexus eſt, factaq; eſt ex feruenti dilectione, continuoque, & fideli cultu inter eum, & illam imperialis authoritatis Reginam, tanta familiaritas, tanta de eius pietate fiducia, quanta inter filium, & matrem affectuoſiſſimè dilectam vllatenus eſſe poſſet.* Et conſequenter præcipua aliquot beneficia ac mutuæ dilectionis teſtimonia profert: quę ibidem videri poterunt. *Ab ea viciſſim fouetur.*

5 Singularis prorſus familiaritatis indicium eſt id, quod ipſa SS. Virgo cæli Regina viſibiliter illi apparens, per cappam eum accipiens, obambulando per dormitorium duxerit. Ita *Mazzer. c.1.n.4. Boſtius in Analectis n.9.* ſuumque *Per cappā ducitur.*

illi amorem, & ſingularem in omni neceſſitate curam, Ordinique toti fauorem ac tutelam promiſerit. *Boſtius ibid. n.9.& 14.*

§. IX.

FIRMA IN DEVM, ac Deiparam fiducia.

S. PETRVS THOMAS magnus & paruus.

1 SAnctus PETRVS THOMAS ortu humilis, ſtaturâ puſillus, domi incognitus, facultate miſer, effectus eſt dignitate ſublimis, animo excelſus, per orbem clariſſimus, regum opibus ſuperior, multaque mirabilia, & ſtupenda operatus fuit, vt in illo verificetur illud Apoſtoli: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: & non glorietur omnis caro: 1. Cor. 1. Mazzer. totius vitæ decurſu.*

Deo & Deiparæ innixus mira operatur.

2 Sed *quis eſt iſte, qui aſcendit de deſerto* iſto humilitatis, paupertatis, & miſeriæ, *deliciis affluens,* deliciis admirabilis ſapientiæ, diuinorum chariſmatum, magnalium, & heroicorum factorũ? Quibus medijs? quâ virtute? quo auxiliante? reſponderet ipſe: *Innixus fui ſuper dilectum meum,* DEVM, *& dilectam meam,* MARIAM. Omnino mea virtus, robur, & magnifica geſta dilecto meo, & dilectæ meæ innitebantur. In Deo, & Dei Genitrice feci virtutem, *& ipſi ad nihilum deduxerunt*

deduxerunt tribulantes me. Pſal. 59. In omni enim arduo negotio ſuſcipiendo, & peragendo, in omni neceſſitate, difficultate, periculo, ſibi, ſuiſque viribus diffidens, per feruidas, & prolixas orationes magnâ cum fiduciâ recurrebat ad certiſſimum adiutorium, Patronam & Matrem ſuam ſanctiſſimam Virginem MARIAM, & per eam ad Deum adiutorem ſuum, qui ipſum confortabat, & negotia ardua, & penè impoſſibilia, quæ pro eius gloria, & Eccleſiæ vtilitate ſuſcipiebat, adiuuando proſequebatur: atque ita in ſe expertus fuit iſtud Prophetæ: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Iſaiæ* 40. *Boſtius in Analect. cap.*4. & *in epitome vitæ n.*2. & *Mazzer. ſæpius.*

3 Nonne pennis vſus, & vt aquila volaſſe videtur, quando ex Occidente in Orientem, ab Auſtro verſus Aquilonem, ex Gallia in Italiam ad Genuenſes, & Mediolanenſes, Neapolim, Venetias, ex Italia, ad Regem Raſſianorum: inde iterum ad curiam pontificiam: tum ad Venetos, & Hungaros, poſtea ad Imperatorem Græcorum: ab illo in Cyprum, in Palæſtinam vbi Sanctam Ciuitatem Hieruſalem, Præſepe Bethleemitanum, montem Sión, & alia loca ſacra, magno deuotionis ardore viſitauit: Illinc regreſſus in Cyprum, deinde Auenionem, & iterum in Orientem, ex Oriente rurſus in Italiam, iterumque in Orientem & Ægyptum: vbique

Quaſi volaſſe videtur.

bique ſingularis doctrinæ, & magnæ virtutis exempla relinquens, ac prodigioſa patrans opera: quibus omnes ad Dei cultum, & pietatem trahere ſatagebat, & in ſui admirationem, ac æſtimationem rapiebat: prout copioſè per plura capita in vita ſupra poſita deſcribitur, *c.* 3. 4. *& ſequentibus*: & *à Boſtio in Anal. c.* 4. *atque in epitome Vitæ, hic ſupra, n.* 2. *& ſequentibus præſertim nu.* 5.

§. X.

DIVINÆ GRATIÆ COOPERATIO fidelis, fortis, magnanima.

1 QVamuis ex vnâ parte diffidentia ſui, & plena fiducia in Deum, & ex altera ſedula cooperatio, & ſollicitudo in exequendis negotiis: hinc quoque humilitas, & iſtinc magnanimitas, ſeu animi magnitudo primo intuitu inter ſe pugnare videantur, amicabili tamen nexu illas in ſe ſociauit S. PETRVS THOMAS: de cuius humilitate conſtat ex dictis §. 1. Magnanimitatem autem teſtantur ardua, & magnalia per eum generosè ſuſcepta, & patrata.

Diffidens ſibi,

2 Similiter quamuis diffidens ſuis viribus, & diuinis fretus, cuncta aggrederetur, & exequeretur, ſciens tamen, Deum magna ſine nobis nō operari, & homines eſſe Dei coadiutores, in negotiis quibuſuis, ex ſua parte, omnes quas potuit diligentias

Deo fortiter cooperabatur.

diligentias adhibuit, generoſam fortitudinem indutus eſt, & præcinxit ſe virtute, animoque infractus, difficultates quaſlibet vicit & ſuperauit. In manu enim eius videbatur Dominus proſperare opus ſuum, & per eum generosè cooperantem Dei virtus, & potentia, mirabilis in maieſtate, & faciens prodigia deprædicata fuit. *Mazzer. cap. 3.4.5.6. & ſequent. Boſtius in epitome n.2. & ſeq.*

3 Eſt autem hæc praxis Sanctorum, quâ, licet ſuis diffidant viribus, tamen robur, & gratiam miniſtranti, & auxilianti Deo freti, magna moliri audent, & ſtrenuè cooperando feliciter peragunt. Ita S. Paulus, S. Carolus Borromæus S. Ignatius, S. Tereſia. S. Franciſcus Xauerius, & alij magnalium operatores in rerum agendarum ratione, duo, penè vulgari iudicio pugnātia, practicabant: ex altera parte totam rem magnâ fiduciâ diuinæ prouidentiæ committebāt, ac ſi nihil ſpei penitùs in humanæ diligentiæ officiis relictum fuiſſet: ex altera verò, nullum humani officij, ſtudij, curæ, induſtriæ munus, tempuſúe prætermittebant: non ſecus, ac ſi nihil in diuina ope poſitum fuiſſet. Atque ita diuinâ, & humanâ prudentiâ ac ſubſidio, quaſi duabus anchoris ſe firmantes, quod ſemel inchoauerant, non obſtantibus difficultatibus, aut contradictionibus, fortiter, & conſtanter ad finem vſque proſequebantur. *Optima praxis Sanctorum.*

4 O, ſi in hoc eos imitari geſtiremus, nunc qui

qui vix repimus, magnis paſſibus ad perfectionem progrederemur: & pro Dei gloria etiam heroica patraremus; quia enim aut Deo ſoli plenè non confidimus, aut ipſi ex parte noſtra non cooperamur, parum præſtamus; plerumque enim virtutis exercitia, aut opera excellentia, pro Dei gloria, animarumúe ſalute ſuſcipienda, tanquam ferè impoſſibilia apprehendimus, aut ad ea non tam efficacem voluntatem, quam duntaxat velleitatem aliquam adferimus. Et ſi bona proponimus, aut etiam inchoamus, ex leui reſiſtentia reſilimus, & deficimus.

§. XI.

PACIS PROCVRANDÆ STVDIVM INCOMPARABILE.

Pacem vbique promouet.

1 SI quis Sanctorum *Pacificatoris* titulo condecorari promeritus ſingulariter fuerit, cum noſtro huic Sancto iure meritò ſpecialiter competere dubitabit nemo, qui vitam eius perlegerit. Primùm ab Innocentio VI. ad Imperatorem; & deinde ad Regem, ac Reginam Apuliæ miſſus fuit. Tum Nuncius amandatur ad Regem Raſſianorum, coram quo intrepidè Sedis apoſtolicæ dignitatem, & authoritatem ſuſtinuit.

2 Poſtea ad Hungaros, & Venetos, quos in-

ter ſe belligerantes, ad pacis fœdera induxit. Vix ibi abſoluerat, & longiori adiudicatur legationi ad Imperatorem Græcorum, quem Eccleſiæ Romanæ reconciliauit, eique ſacram communionem tribuit, eiuſque literas, quibus fidem Catholicam profitebatur, ad Pontificem miſit, & ſuis precibus eidem victoriam obtinuit.

3 Inde reuerſus ad Pontificem, inſtituitur Legatus Apoſtolicus variorum Regnorum, & Prouinciarum Orientis, vbi generosè ſuo fungens munere, Eccleſiæ fines dilatauit, Turcarũ repreſſit potentiam: Cretam periculoſâ hæreſi liberauit, & Græcos ad ritum Romanum traxit. Sataliam fortiſſimam vrbem Turcorum iugo ereptam Chriſtianis inſtruxit diſciplinis.

4 Tandem inſtitutus Archiepiſcopus Cretenſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, & loco Cardinalis Taldirandi defuncti, Apoſtolicę Sedis legatus, in exercitu cruce ſignatorum, multos principes, & prouincias pacificat; ſed per magnas moleſtias, ærumnas, & vitæ diſcrimina; ſæpè enim per medias acies in ipſo conflictu diſcurrebat, pacem exclamans, & per Dei miſericordiam obteſtans, vt, mitigato furore, ſibi, ſuiſque parcerent, & iuſtitiæ libramine, non effuſo ſanguine, controuerſias dirimerent. In obſidione, quam ipſe præcipuè promouit, Alexandriæ, nobiliſſimæ ciuitatis Ægypti, ſtrenuam nauauit operam, ſummâ prudentiâ, & indefa-

tigabili

tigabili labore, donec in Chriſtianorum poteſtatem redigeretur. *Mazzer. per plura capita. Boſtius in Anal. c. 4. n. 17. & ſeq. & in epitome, hic ſupra.*

5 Ex dictis conſtat, S. Petrum Thomam fuiſſe, & meritò nuncupandum, perfectiſſimum exemplar, & prototypon Nunciorum, & Legatorum Apoſtolicorum (ſicut S. Franciſcus Xauerius Miſſionariorum) R. P. *Henſchenius in Comment. prævio ad vitam §. 2. nu. 9.*

Legatorum exemplar abſolutiſſimum.

§. XII.

ARDENS ZELVS DIVINI HONORIS, ſalutis animarum, ET CHARITAS IN DEVM, AC PROXIMVM.

1 SAnctus hic noſter Patriarcha, Patriarchæ, Patriſque ſui Eliæ genuinus filius *zelo zelatus eſt pro Domino Deo exercituum*: quinimo *Zelus domus Dei comedit eum*: pro quâ & *murum ſe oppoſuit*: & vitæ diſcrimina contempſit. *Mazzer. cap. 3. num. 18. & ſeq.*

2 Eſt autem zelus, *animi æſtus, quo quis in eum, quem impensè diligit, fertur, ad promouendum honorem eius, & impediendum, ne quid indignè adversùs eum committatur.* Tanto autem ardore ſuccenſus fuit diuini honoris promouendi, fidei Catholicæ propugnandæ, peccatorum conuertendorum,

Zelus quid ſit.

tendorum, & ſchiſmaticorum, hæreticorum, ac infidelium in gremium Eccleſiæ adducendi: tantâque prædicationis efficaciâ, innumeros ad pœnitentiam,& orthodoxam fidem traduxit, vt etiam idem de filio, quod de Patre aſſerere liceat: *Surrexit quaſi ignis; & verbum ipſius, quaſi facula ardebat:* prout ex totius vitæ decurſu pateſcit: nihil enim terrennum affectabat, at ſolummodo augmentum diuini honoris, & fidei Catholicæ,& fratrum ſuorum, ac omnium, quibuſcum tractabat, ſalutem. *Quantus in S. Petro Thomaſio.*

3 Imò tantus illi erat zelus animarum, vt pro vnaquaque vellet ſe impendere: *& pro vno peccatore, ad ipſum recurrente, & ab ipſo alias nunquam viſo, ſi oportuiſſet, corpus ſuum lætanter ad martyrium poſuiſſet;* vnde charitatem eius difficilè eſſet deſcribere. *Mazzer. cap. 2. num. 14. & in ſequentibus, per totum.* *Quanta eius charitas in proximum.*

Hæc viá, hæc Scala eſt quâ dilectus Domini, & Deiparæ PETRVS THOMASIVS in cælum aſcendit. Eadem gradatim per dictarum virtutum exercitia ipſum inſequamur: & vnà cum ipſo veram conſequemur gloriam apud Deum: qui eſt benedictus in æternum.

Ad maiorem Dei, Deiparæ, S. P. N. Eliæ, & S. Petri Thomæ gloriam.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX

EPITOME *Vitæ* S. PETRI THOMASII *ex Arnoldo Boſtio.* 1
Scala virtutum eiuſdem.
§. I. *Humilitas profunda mirificè à Deo exaltata.*
§. II. *Paupertas Euangelica.*
§. III. *Caſtitas virginalis.*
§. IV. *Obedientiæ, & Regularis vitæ diſtricta obſeruantia.*
§. V. *Benignitas ſingularis.*
§. VI. *Laborioſa diligentia in ſtudio doctrinæ & concionibus elucubrandis.*
§. VII. *Indefeſſum orationis ſtudium.*
§. VIII. *Eximia pietas & deuotio erga beatiſſimam Virginem* MARIAM.
§. IX. *Firma in Deum ac Deiparam fiducia.*
§. X. *Diuinæ gratiæ cooperatio fidelis, fortis, magnanima.*
§. XI. *Pacis procurandæ ſtudium incomparabile.*
§. XII. *Ardens zelus Diuini honoris, ſalutis animarum, & charitas in Deum ac proximum.*

FINIS.